Inform[illegible] secta Anabaptistica seu
Mennonistica sic dicta.
impr. Lublini 1680.



INFORMATIO

DE

Secta Anabaptiſtica, ſeu Mennoniſtica ſic dicta.

IN Secta Anabaptiſtarum, qui & Mennoniſtæ dicuntur, quorum plurimi ſunt in Pruſsia, Arianiſmus occultus, & latens in lucem publicam productus eſt, ex illorummet propriá oris Confeſsione in examine publico à ſanctæ memoriæ Illuſtriſsimo ac Reverendiſsimo Domino STANISLAO SARNOWSKI Epiſcopo Vladisl: & Pomeraniæ è uoluntate Sereniſsimi ac Potentiſsimi IOANNIS III. Regis Poloniarum feliciter regnantis, dum primùm ſolenni ritu Gedanum, Regiam ſuam Urbem ingreſſus fuiſſet, in præſentia Perilluſtrium Rever. DD. Prælatorum, tum & Theologorum ex varijs S. Ordinibus ad hunc actum ſpecialiter invitatorum, inſtituto, binâ Seſsione die 17. & 20. Ianuarij Anno Domini 1678. Quorum nomine duo, duarum inter illos Sectarum, quarum una Clariſtarum, altera Contribulatorum nomen ſortiuntur, Admonitores, ſeu exhortatores, ad interrogata in eodem Examine propoſita, reſpondebant.

Quamvis verò per Conſtitutionem Regni, in Comitijs Generalibus Arani proſcripti ſint ex Polonia, nihilominus tamen occultè idem Arianiſmus ſub alio nomine latet, & ſummum in modum dilatatur, propagaturque in dictis Anabaptiſtis, ſeu alias Mennoniſtis in Pruſsia præcipuè. Occultus autem reconditusque Arianiſmus in hac Secta rectè dicitur, quia etſi nec Arianorum, nec Socinianorum nomen gerant; nihilominus eorundem pleraque dogmata tenent & credunt, quæ tamen

)(ipſa

ipsa in suis Symbolis seu Confessionibus Fidei, quas publicè circumferunt, haud palàm evulgant. Quòd verò hæc Secta reipsa conveniat cum Secta Arianorum seu Socinistarum, qui Regno pulsi sunt, patet ex sequentibus.

I. Ariani *seu Sociniani* non agnoscunt *Mysterium Sanctissimæ Trinitatis*, id est, *veras & reales tres Personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, in una Divina essentia*, sicut ex illorum Cathechismo, Rakoviæ impresso Anno 1612. *De agnitione DEI* cap. 5. *de Essentia DEI* pag. 30. constat. Idem etiam præteritis temporibus Photiniani, Sabelliani, Samosateni docuerunt, & alii plures Sectarii à Catholica Ecclesia in Universalibus Conciliis rejecti & damnati.

Idem docent suprà dicti *Mennonistæ*, & quidem Contribulati ad interrogationem. *Quid sentiunt vestri de Sanctissima Trinitate?* Respondit nomine illorum Admonitor: *Non agnoscimus Tres Personas, sed tantùm unicam substantiam in tribus nominibus.* Nomine autem Claristarum respondit Admonitor; *Hoc verbum Trinitas Personarum, non admittimus, quia non legitur in Sacra Scriptura, credimus tamen id quod significat; confitemur unum DEUM in unica Substantia, hæc autem debet in tres partes dividi, una æqualis virtus in omnibus tribus propter earum operationes, in quibus æquales sunt.* Circa quod responsum notandum, quòd primi quidem expresse tres Personas negent, & tria nomina tantùm fateantur; alteri autem sub tribus nominibus tres operationes confitentur; quæ tamen veræ & substantiales personæ non sunt. Nam operatio non est Persona, sed potius operatio à persona provenit, tanquam effectus à causa, prout à Theologis docetur. Etenim *Actiones sunt suppositorum*, id est: operationes fiunt à substantia, quæ subsistentiâ terminatur, quæ subsistentia in rationali substantia (qualis est altissimi & perfectissimi DEI) Persona nominatur. Hinc, quia tres in Divina substantia subsistentias agnoscimus, ideo etiam tres Personas, & non virtutes solùm confitemur; Mennonistæ autem confitendo seu tria nomina, seu tres operationes, negant tres Personas; quia Persona non est merum nomen sine realitate, nec mera operatio. Unde patet illos in hoc puncto verè Arianos esse.

II. *Ariani* negant *Filium DEI Christum IESUM Divinam Personam, negant & omusion, seu Consubstantialem*, id est, *unius & æqualis substantiæ esse cum Patre ab æterno*: id quod notum est orbi, & in illorum supradicto Catechismo de Persona Christi Domini pag 53. & sequent: legere est.

Mennonistæ quidem fatentur Filium DEI unius, & æqualis substantiæ esse cum Patris natura seu substantia, sed quia non agnoscunt quòd Divina Persona Filii à Patre etiam Divina Persona genita sit, ideo non differunt ab Arianis. Nam qui Filio DEI Divinam realem Personam negat; negat etiam ei per Consequens *omusion* Consubstantialitatem, id est æqualem & unam cum Patre substantiam. Nam Filij DEI æqualis & una cum Patre substantia seu natura, ita est identificata & una cum reali sua Divina Persona, ut nullo modo à se invicem separari & disjungi possit. Unde qui negat Filium DEI esse Divinam realem Personam, is negas etiam eum Divinam esse substantiam: Quæ cùm una æqualis sit cum substantia Patris sui cœlestis: qui negat Filium DEI Personam esse, negat & Consubstantialem Patri, quia negat id quod est idem cum substantia seu natura Filii, & cum

substantia seu natura Patris: Iam autem Mennonistæ negant Personam Filii, igitur negant & substantiam seu naturam Filii eandem & æqualem Patri, adeòque negant tacitè, implicitè, & consecutivè consubstantialem Patri.

Insuper hoc ipsum quòd Mennonistæ negando Filium esse Personam Verbi, eo ipso negant consubstantialem Patri, patet ex eo; etenim cùm credant Patrem genuisse Filium, & tamen negant Filium esse Personam, non possunt ostendendere secundùm quid Pater genuerit Filium? Non enim secundùm personam, quia illam in utroque negant; non secundùm naturam, quia aliàs darentur duæ distinctæ naturæ Divinæ, Generans & genita, adeòque duo secundùm quod Pater debuisset generare Filium: ergo cùm Mennonistæ negant personam, negant absolutè Filium, adeòque negant consubstantialem Patri: neque enim Filius in esse Filii aliud est, quàm Persona Divina Verbi, à Patre itidem Persona Divina genita ab æterno eidem consubstantialis. Ex his igitur patet Mennonistas hoc in puncto tacitè cum Arianis convenire. Quanquam eosdem etiam apertè Divinitatem coæterni Filii DEI negâsse agnovit Vladislaus IV. Rex Poloniæ in Decreto contra illos lato ut videre est infra.

III. *Ariani* docent *in Christo Domino non esse Divinam Personam, sed solùm humanam.* Ita suprà memoratus Catechismus pag. 54.

Etiam in hoc conveniunt *Mennonistæ*; unde cùm illorum Admonitores interrogati, *Num Christus Dominus cum humana natura, etiam humanam personam assumpserit?* Pro parte Contribulatorum respondit Admonitor: *humanam personam agnoscimus in Christo, sed non Divinam.* Pro Claristis autem respondit; *Imò nobis in omnibus similem absque peccatis assumpsit personam.* Sic in Christo per illos non est Divina Persona, sed tantùm humana. Quare omninò Mennonistæ conveniunt etiam in hoc puncto cum Arianis.

IV. *Ariani* negant *Benedictam Virginem Mariam esse Theotokon seu Deiparam*, id est *Dei Filii* consubstantialis Patri ab æterno, sed solùm puri hominis Genitricem asserunt, qui tamen à sua prima conceptione & nativitate nomen veri Filii DEI, super omnia benedicti sortitus fuerit, ita Catech. Rakov. de Persona Christi Pag. 54. 55.

Mennonistæ id quidem non negant expresse, eo ipso tamen tacitè negant, cùm non confitentur Personam Divinam in Christo. Non igitur per illos est Genitrix illius DEI, qui est Persona Divina; Sed nescio cujus DEI, in quo agnoscunt solam humanam personam.

V. *Ariani* non confitentur *Symbolum Nicenum*, id est, *simul sumptos articulos, qui in Niceno Concilio ab universali Ecclesia contra Arium* edicti, nec Symbolum Fidei, ab Ecclesiæ Doctore Athanasio contra Arianos, & alios Sectarios conscriptum, nec item Symbolum Concilii Constantinopolitani, nec Ephesini. Quæ omnia Symbola, seu Confessiones Fidei, Universalis Christi Ecclesia in magna æstimatione semper habuit, & eisdem sese, quasi invincibili clypeo omnibus Photinianis, Sabellianis, Samosatenis, Arianis, & aliis plurimis Sectariis opposuit & defendit semper.

Mennonistæ etiam non agnoscunt supra dicta Symbola, imò nec Symbolum Apostolicum, quia dicunt Apostolicum Symbolum non nominari in Sacra Scri-

ptura. In talem errorem ducit eos Principium illud, quo etiam aliæ Religione pro se usurpare volunt, ea solùm & unicè credenda esse, quæ claris & dilucidis verbis in Sacra Scriptura scripta leguntur, rejectâ Ecclesiæ Catholicæ authoritate: & ideo etiam nolunt ullo modo personas Divinas in Sanctissima Trinitate, nec personam Divinam in Christo agnoscere, eò quòd ajunt hoc nomen *Persona Divina, Trinitas*, &c. in Sacra Scriptura non invenitur, ut dictum supra.

XVI. Ariani *nullum peccatum origenale agnoverunt, dixeruntque, pueros non nasci in originali peccato*, prout in illorum Catechismo notare est pag. 215: De Baptismo aquæ.

Idem docent Mennonistæ, & quidem Claristarum Admonitor ad interrogationem, *utrum etiam originale peccatum in pueris sit*? respondit. *In peccato quidem originali concipimur, at Christus Dominus omnia peccata per mortem suam sustulit, etiam originale propter Christum nobis non adscribitur*. Contribulatorum autem respondit brevibus. *Nullum nos agnoscimus originale peccatum*. Ergo Arianorum vestigia seqvuntur.

VII. Ariani docent: *Baptismum infantum non esse necessarium ad salutem, infantesque salvari absque Baptismo. Infantes proinde non baptizabant, sed solùm in adulta ætate rebaptizabant quoque eos, qui ab alia Religione ad illorum accedebant Communitatem. Denique hunc adultorum Baptismum peragebant non perfusione aquæ sed trina immersione*.

Etiam hoc docent Mennonistæ, nam ad interrogationem. *Possuntne parvuli salvari absque Baptismo*? Respondit Claristarum Admonitor: *Pueros credimus salvos fieri absque Baptismo*. Contribulatorum autem Admonitor, inquit. *Dicimus illos salvari propter innocentiam. Nam Christus Dominus inquit: Sinite parvulos venire ad me*. Unde etiam non infantes, sed adultos baptizant, idque non propter originale peccatum delendum, sed propter actualia. Rebaptizant quoque accedentes ad suam Sectam, quod cùm hîc in Prussia facere non permittantur, conferunt se in Hollandiam, vel aliás, ubi degunt extra Poloniæ Regnum partes; ibique iterant Baptismum. Trinam demum immersionē in Baptismo adultorum adhibent. Hic verò ipse adultorum Baptismus apud illos an sit validus, ingens est dubium; siquidem non in nomine Patris & Filij, & Spiritûs Sancti, tanquam verarum realium personarum, baptizant, sed solùm mera nomina per Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum agnoscunt.

VIII. Ariani docent: *Cœnam Domini non esse Sacramentum, sed solùm extrinsecum signum, & Ceremoniam*. In Catechismo supra cit. pag: 214.

Idem quoque docent & credunt *Mennonistæ*: Nam ad hanc interrogationem. *Estne Baptismus, & Cœna Domini Sacramentum apud vos*? Respondit Claristarum Admonitor: *Quamvis externè hoc nomen Sacramentum non usurpemus, tamen tanquam Mysterium Cœnam Domini observamus, per quod baptizatus Christo incorporatur*. Contribulatorum autem respondit. *Nequaquam, sed solùm extrinseca sunt Ceremoniæ & signa Passionis Domini*.

IX. Multi ex *Arianis rejiciunt Magistratum*, sicut etiam *bellum & juramentum*. In hoc totaliter *Mennonistæ* conveniunt, qui nullum Magistratum inter se habent. nullum bellum, juramentum nullum esse licitum statuunt.

X. Ariani docuerunt *Defunctorum animas non statim post mortem à DEO judi-* cari,

cari, vel ad æternam mortem, vel ad æternam vitam, sed à DEO conservari usque ad extremum judicii diem.

Idem docent & *Mennonistæ*: nam ad interrogationem: *ubi ergo manent animæ defunctorum post mortem*? Respondit Claristarum Admonitor: *Vadunt in cubile quietis. Vbi autem illud sit, nescimus. In Apocalypsi Ioannis legitur, quòd sub altari quieverint*. Contribulatorum autem respondit. *Difficultas utique esset maxima, si animæ modò cœlum intrarent, & postmodum in die judicii iterum inde exirent, sed modò detinentur vivæ in manu DEI, usque ad extremum judicii diem*.

Mennonistæ seu Anabaptistæ dicti in Poloniæ Regno antea cum Arianis uni fuerunt, à quibus postea Ariani se separârunt, postquam Socinus apertiùs Arianismū in lucem protulit, à quo etiam Sociniani dicti sunt.

Ex his omnibus & singulis punctis concluditur. Mennonistas verè convenire cum Arianis.

Hinc insuper consequitur eos neque Christianos è vero esse Nam inprimis Christiani veri à non Christianis, scilicet Ethnicis, Saracenis, & Iudæis distinguũtur per hoc, quia confitentur DEUM *unum in essentia, trinum in personis, Patrem, Filiũ, & Spiritum S.* juxta Concilii Niceni. aliorumque Conciliorum, atque Athanasii Symbolum, seu Confessionem. Atqui Anabaptistæ, seu Mennonistæ negant SS. atque adorandam Trinitatem personarum, ut dictum sup. Igitur consequens est, eos non esse verè Christianos.

Secundò. Christiani veri confitentur & credunt *Christum Dominum esse personā Verbi consubstantialem Filium DEI Patris ab æterno, qui in tempore Caro factus*, i. e. assumpsit carnem humanæ naturæ absque persona humana, virtute Spiritûs S. in utero Purissimæ Virginis MARIÆ ex ejusdem Virginali Carne, & Substantia. Ita Symbolum Nicenum Athanasii &c. Atqui Anabaptistæ seu Mennonistæ negant in Christo Domino personam Divinam, sed solùm humanam agnoscunt, negant item ex Benedictæ Virginis DEIparæ Carne & Substantia assumpsisse. Carnem naturæ humanæ, uti dictum. Ergo non sunt veri Christiani. Insuper, quòd Mennonistæ Divinitatem coæterni Filij DEI negent, patet ex Decreto contra eosdem lato à Seren Rege Vladislao ad finem ponendo.

Tertiò. Veri Christiani agnoscunt *Baptismum esse Sacramentum. Infantes suos baptizant, ut à peccato originali emundentur, atque in Christo baptizati* ut D. Paulus ait Gal, 317. *Christum Dominum induant*: hocque Baptismo condistinguuntur ab Ethnicis, Saracenis, Iudæis. Atqui Anabaptistæ seu Mennonistæ non baptizant infantes, quin negant esse Sacramentum, negant necessarium esse ad salutem, negant pro delendo originali peccato institutum, sed solùm pro actualibus, ideoque baptizant adultos, ad delenda peccata actualia. quin rebaptizant ad suam Sectam accedentes Ergo etiā hoc titulo baptismi à se repudiati, non sunt veri Christiani.

Hæc tria sunt præcipua ut cætera taceam puncta, quibus veri Christiani demonstrantur, & distinguuntur ab iis, qui non sunt Christiani, ut Gentiles. Saraceni, Iudæi. In quibus, quia non conveniunt Anabaptistæ seu Mennonistæ cum veris Christianis, consequens est, eos non esse veros Christianos.

Hæc porro Secta perniciosa est ceteris. Animabus inprimis, ex eo, quia non admittunt Baptismum parvulorum, unde necesse est omnes infantes è vita decedentes vitâ æternâ, & regno cœlorum privari; juxta effatum Domini nostri. *Nisi quis* rena-

venatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non introibit in regnum cœlorum. Ioann. 3. 5. Ex hac quoque Secta emanavit Secta Quakerorum, longè pernicioſior: quia cùm eadem quidem negat SS. Trinitatem perſonarum in Divinitate; negat in Chriſto Domino perſonam Divinam, negat Baptiſmum, & Cœnam eſſe Sacramentum &c. Inſuper omnem etiam in adultis tollit Baptiſmum aquæ, tollit uſum Cœnæ Dni. tollit omnes Ceremonias Eccleſiæ, tollit Magiſtratum, tollit Civilē humanitatē &c.

Pernicioſa eſt etiam Regnis, Rebuspublicis, Communitatibus, Civitatibus Secta Mennoniſtica, Tum quia Regna, Reſpublicæ, & Communitates quæcunque conſiſtunt in debita ordinatione ſubjectioneque Magiſtratûs & populi, ex quo rectus ordo conſequitur: illi autem rejiciunt Magiſtratum, tam politicum, ſeu civilem, quàm ſpiritualem, omnes debere eſſe æquales ſtatuendo. Tum quia regna, Reſpublicæ ita ordinatæ ſunt inter Chriſtianos à prima origine, quòd Reges & Principes ſuis ſubditis juramento confirment, ſe velle ſecundùm præſcripta Legum imperare ſubditis, eoſque regere; Subditi autem viciſſim iiſdem, ſecundùm easdem leges obedientiam, & ſubjectionem præſtare: quod per hanc Sectam fieri nequit, neque deberet fieri, quia rejiciunt juramentum. Deinde in Civitatibus ordinariè Ius Civitatis nonniſi prævio juramento conceditur incolis: Cùm autem illi tollant juramentum omne, tollunt & Ius Civitatenſe. Tum quia rejiciunt bellum, tam offenſivum, quàm defenſivum. Unde ingruente ab hoſte bello, Provinciæ, & Civitates propter ejusmodi homines arma gerere nolentes, hoſti neceſſariò deberent ſuccumbere. Taceo denique id, quod vulgò circumferunt de illis verumnè, an falſum? eos externâ ſpecie pietatis, diverſas fraudes & dolos palliare.

Viderint ad quos id pro muneris & conſcientiæ exigentia ſpectat in Poloniæ Regno, an non inter alias cauſas, tot aliis præcedentibus, recenti etiam flagello Chriſtianorum Turcarum ferro puniatur Polonia? quia nimirum tam pernicioſa Secta, in qua tot animæ miſerè pereunt æternùm, toleratur, neque initur efficax modus, & medium, quo errantes in viam veritatis, atque ſalutis æternæ reducantur: Hoc ſaltem ſeverè ſtatuendo; ut in medio Chriſtianitatis illud non Chriſtianum è medio tollatur, quòd ſcilicet non baptizentur illorum infantes, ſed potius his dè ſalutis æternæ remedio à Chriſto Domino ſuæ Eccleſiæ gratioſè proviſo & relicto, nimirum ſacri baptiſmatis fonte, provideatur.

Apponamus hìc Decretum Vladislai IV Poloniarum contra hanc Sectam latum quod ſuperius dicta manifeſtè confirmat.

Decretum contra Mennoniſtas VLADISLAI IV. REGIS POLONIÆ, &c.

VLADISLAUS IV. &c. Univerſis quorum intereſt tam Eccleſiaſticis, quàm Secularibus perſonis, necnon officiis & ſubſelliis quibuscunque Palatinatibus, vice-Palatinatibus, Terreſtribus, Caſtrenſibus. Magiſtratibus univerſis Civilibus, in Regno & Dominiis noſtris, maximè verò in terris Pruſſiæ exiſtentibus, aliisque in univerſum omnibus ad quos præſentes literæ noſtræ devenerunt, notum

tum manifeſtumque facimus. Solida regentium in terris curâ id maximè Principes & Reges providere debent, ne moderando gubernaculoque Imperioru n Regnorumq ıe Sceptra, ac Faſces per *Exleges nec Chriſtiano nomine dignos* Regnorum & Dominiorum incolas *Divinæ Majeſtatis in unitate Trinum, & in Trinitate Vnum ab æterno cultum, blaſphemiâ violari* patiantur. Quare compertum habentes in Regno & Dominiis noſtris, maximè verò in terris Pruſſiæ reperiri *Sectam Anabaptiſticam & Mennoniſticam*, quæ animabus tam Catholicorum, quàm Diſſidentium de Religione, in partem illius Sectæ, Sectariorum ſvaſu & conſilio euntibus ſummopere ſit damoſa & ob læſionem ore blaſphemo *Divinitatis coæterni Filii DEI*, Eccleſiæ Catholicæ exoſa, ſummèque abominabilis: Idcirco nos pro zelo noſtro, nihil in votis prius ac poſterius habentes, quàm ut ejus, qui Regna & ſceptra eorumque vires moderatur, debitâ curâ & ſolicitudine noſtra defendamus injuriam; faciendum ad præſens concenſuimus, & ejusmodi clariſſimæ veritatis oppugnatoribus blaſphemiæ veterno incumbentibus, depravatæque Sectæ Lenociniis inſiſtentibus, & à communi longiſſimè aberrantibus ſenſu, ne eorum ſimulata & callida profeſſio, & nociva altius prorumpant inter homines dogmata, obicem ponamus: prout de ſtricto & de ſpeciali Mandato ac Edicto noſtro Regio ponimus, illudque evulgamus, ac declaramus per præſentes prohibentes, ac ſeriò ac rigidè mandantes omnibus in genere & ſpecie Mennoniſtæ & Anabaptiſtæ Confeſſionis Sectariis, privatis pariter ac publicis perſonis in Regno noſtro, maximè verò in Pruſſia per conniventiam Magiſtratuum quorumvis reſidentibus & latitantibus, *ne quempiam ex Chriſti fidelibus Catholicis & aliis Diſſidentibus de Religione ad ſuam Sectam pertrahere, numero ſuæ fidei adſcribere, ad Profeſſionemque recipere audeant, ſub pœna Colli, Confiſcationis bonorum, & omnium ejus Sectæ ex Regno & Dominiis noſtris expulſionis.*

Nec dubitamus loci Ordinarios, Officiales & in ſuis Parochiis Parochos hujusmodi corruptionibus animarum Chriſtianarum invigilaturos, & tales corruptores ad nos, judiciaque noſtra delaturos. In cujus fidem, præſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni communiri juſſimus. Datum Varſaviæ die 10. Menſis Junii. Anno 1647. Regnorum Noſtrorum Poloniæ 15 Sveciæ 16. Anno.

VLADISLAUS REX.

(L. S.)

Thomas Vjeiski S. R. M. Secretarius.

❧(o)❧

Ex hoc igitur Decreto, cui ſimile Rex Ioannes Caſimirus edidit, patet: Inprimis, Mennoniſtas negare SS. Trinitatem perſonarum; negare Filium DEI coæternum Patri, quod totum negant Ariani: ac proinde Chriſtiano haud nomine dignos: ad ſuam inſuper Sectam haud debere quenquam pertrahere & numero ſuæ fidei adſcribere &c. ſub pœna colli, confiſcationis bonorum, & omnium ejus Sectæ ex Regno expulſionis. Iam autem recentia ſunt exempla, eos ex Religione Lutherana & Calviniana recepiſſe plurimos, etiam recenter in Epiſcopali vico Schotlandiâ, prope Gedanum, qui ſeſe permiſerunt rebaptizari in aliis locis & regionibus præſertim Hollandia

Et hæc ſufficiant pro informatione circa hanc Sectam non in ejusdem ruinam, ſed reſurrectionem; non in deſtructionem, ſed ædificationem; non in condemnationem, ſed ſalutem ac vitam æternam, per agnitionem unicæ Orthodoxæ Veritatis; in quam, ut à S. Spiritu Veritatis inducantur, faxit DEVS ter Optimus, ter Maximus.

Cum Facultate & Licentia Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Loci Ordinarii Anno Domini 1683.

Impreſſum LVBLINI

